

EXAMEN CENSURÆ

Id Censor ipse hic indicat, cum subjungit hæc verba; Si in plerisque Confessionis suæ capitibus, se conceptis S. Scripturæ verbis ac phrasibus sententiam suam proponere regerant, hoc ipsis cum Socinianis commune esse dicemus, aliud nihil crepantibus, quam Confessiones ac Catecheses suas, totidē pæne verbis ac syllabis ex S. Scriptura depromtas. Quid apertius? hoc pacto calumniæ cedere, & latam fenestram aperire malignis rumoribus, qui jam invaluerant apud credulam & malefanam plebem, nimis profectò grave ac difficile videbatur Remonstrantibus in hoc capite. Ut autem calumniam cæderent, aliis phrasibus utendum esse sibi videbant: Hoc, quamquam grave etiam videbatur in hoc mysterio, ob reverentiam, quæ summa Numini isti supremo debetur, idcirco tamen tùm temporis levius esse habendum judicabant, quia ex una parte calumniæ aliter occurri non posse intelligebant, & ex alterâ parte cautione subjunctâ, factum hoc suum aliquo modo excusari, & reverentiam quam mysterio huic deferendam esse putant, declarari posse credebant. Hinc nata brevis & circumspecta Mysterij istius declaratio, deinde sollicita illa, quæ declarationi subjuncta est cautio. Utrâq; tùm iniquis, tùm æquis, piis, & Dei reverentibus, satisfieri posse persuasum habebant. Hæc res, cum per se sit manifesta, & Censori ignota esse non potuerit, tantò profectò major videri debet Censoris iniquitas, quòd factum hoc Remonstrantium, non Censura tantum, sed acri & gravi censura dignum pronunciet. Sed huiusmodi sæculo vivimus. Unde modestia exulat, ibi impudentiam regnare, necesse est.

Cur huiusmodi
nullo doctrinæ
de Trinitate
protulerint
Remonstrantes.

Secundum, quod in hac sectione censet, Censor, duo membra continet, quorum prius est, *Quod Remonstrantes doctrinæ huius æ mysterij de S. S. Trinitate nullos usus proferunt.* At quis imperitiosam aut insulsiorem Censuram hic fieri posse cogitet? usus enim doctrinæ de Deo, præmissi fuerunt, & quidem satis prolixè: Nunc verò hoc capite tantum asseritur, Deum illum se patefecisse sub tribus personis sive hypostasibus. Quis, nisi væcors, novos usus hic fingat? Quicumq; enim hic fingentur usus, ij non fingentur sub alio conceptu, quàm sub conceptu Deitatis. Persona, ut persona est, simpliciter usum præbere non potest, nisi quatenus persona divina est: Divinitatis autem conceptus, quos usus præbeat jam ante præcedente cap. indicatum erat. Unde patet quam frivolum sit ac frigidum, quod hic Censor ait, *Remonstrantes hac usum omissione, aut non recitatione, ipsis suspicandi occasionem præbuisse, quòd caput hoc de Trinitate non tam utilibus,*

utilibus,